



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

Benevole Lector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)



BENEVOLE LECTOR.

Adjungo operi quasdam epistolas, quas in Conventus nostri Augustani Archivio reconditas reperi, atque ex Gallico authographo integerrima fide latine reddidi, eoquod Historiam quidem de Genuensium fato, & Siamensi Legatione illustrent, quorumdam tamen Lectorum, si ipsi contextui insertæ fuissent, patientiam sua prolixitate nimis forte fatigarent.

Ad Pag. 272.

Oratio deprecatoria

*Genuensis Ducis coram Galliarum Rege
Versaliis die decimo quinto Maij habita.*

Serenissime Rex! Inter Regiminis præcepta nullum aliud Respublica mea altius cordi impressum semper conservavit, quam singulare desiderium summam profitendi venerationem erga regiam illam coronam, a Majestatis vestræ Majoribus Augustissimis in caput suum transplantatam, quamque ad tam sublimem potentiae & gloriæ gradum Majestas vestra tam prodigiosis, tamque hucusque inauditis victoriis extulit, ut fama, quæ aliorum quorum-

quorumcunque facta nimium augere af-
 fuefcit, fua tamen gefta, etiamfi ea im-
 minuere adlaboraret, nunquam pofteritati
 credibilia reddere poffet: Adeo fublimis
 funt tuæ Prærogativæ, ut dum illæ cujus-
 cunque conditionis homines in admiratio-
 nem rapiunt, ac profundiffimum obfequium
 extorquent, meam præcipue Rempubli-
 cam eo inducere, quatenus præceteris
 omnibus fuam fubmiffionem profiteri,
 tamque luculenter teftari certaret, ut uni-
 verfus Orbis evidens teftimonium reddere
 obstringatur, nunquam in mundo cafum
 magis funeftum, magisque fatalem acci-
 diffe, quam illum, quo Majestas veftra
 merito fe offenfam fenfit: Verba igitur
 mihi defunt, quibus intimum exprimam
 cordis mei dolorem, quo viscera mea la-
 niantur ob offenfionem minima etiam ex
 culpa Majestati veftræ irrogatam, & quam-
 vis Respublica mea fibi perfuadeat, id
 duntaxat infortunii iniquitate accidiffe,
 optaret tamen unice, ut quicquid vel mi-
 nimum Majestati veftræ displicuit, quo-
 vis demum pretio non modo ex Regiæ Ma-
 jestatis fuæ, fed omnium hominum me-
 moria expungere poffet: Nunquam Res-
 publica mea a tam immensa afflictione fele
 erigere poterit, nifi poftquam in pretioffiffi-
 ma Majestatis veftræ gratia fele redinte-
 gratam viderit: Ut vero hujus favoris di-
 gna efficiatur, perfuafum habeat Majestas
 veftra,

vestra, quod extremos etiam conatus, curasque omnino anxias, imo etiam cunctas vires deinceps eo unice intensura sit, ut non modo obtentam gratiam conservet, sed & ut illius incrementa promereri, digna censeatur. Hanc ob rem, haud contenta verbis huic nostræ menti consonis, ac profundissima submissione plenis, sed insuper modo hucusque insueto ac prorsus singulari uti voluit, dum ad Majestatis vestræ pedes ipsum Ducem, suosque quatuor Senatores ablegavit, spe freta, quod hoc submissionis testimonio Majestas vestra convicta remaneat, de profundissima observantia, qua Respublica mea Majestatis vestræ Benevolentiam adorat. Quantum vero in me est, eo nomine me felicissimum existimo, quod perdemissa sincerissimæ mentis meæ sensa Majestati vestræ aperiendi honorem nactus sim: immenso etiam perfundor gaudio, quia mihi datum est vultum subjre tam excelsi Monarchæ, sua potentia invincibilis, & incomparabili magnanimitate ac celsitudine spectatissimi: Sicut ergo omnes alios præteritæ ætatis Reges superasti, ita & hanc prærogativam in Regiam prosapiam tuam immoto jure transfers: Tam prospero augurio fretus confido, fore, ut Majestas sua singularem suæ generositatis splendorem Universo Orbi testatura, pariter non minus debitas, quam perdemissas hæc
decla-

declarationes velut sincerissimi cordis mei, horumque Senatorum, omniumque patriæ meæ civium specimina respicere, & acceptare dignetur: Æstuo igitur præ immenso certa restauratæ Benevolentia suæ signa experiendi desiderio &c.

Oratio Gallici Legati ad Lusitanicæ Regem pro obtinendo ejus patrocínio erga Siamensem Oratorem, & Missionarios cum prima legatione Siamum An. 1685. missos.

Ad Pag. 591.

Rex potentissime!

Nuperis literis ex Francia allatis Majestati vestræ significare jussus sum, quod Rex ac Dominus meus, obsequiosæ Siamensis Regis voluntati satisfactorius, Oratorem quemdam ad eundem Principem maritimo itinere ablegare, eademque occasione in eodem navigio bellico sex Jesuitas natione Gallos, ex Siamensi Regno Macaoum in Sinis transmittere decreverit: Hisce Religiosis hoc impositum est negotium, ut in suo tam terrestri, quam maritimo itinere principalium locorum longitudes, acus magneticæ declinationes & variationes, ac demum quicquid ad perficiendas nostras mappas Geographicas,

phicas, dirigendasque navigationes conferre poterit, sedulo observent, & in raros cujuscunque generis libros pro Regis Domini mei Bibliotheca exacte inquirent. Eapropter Vestram Majestatem certiozem reddere jussus sum, hisce Religiosis serio injunctum esse, ut in quocunque loco eos venire contigerit, ubique cum subditis Majestatis vestræ obsequiose conversarentur, omneque officii ac debitæ submissio- nis genus Lusitanis Præsulibus deferrent. Igitur Rex meus minime dubitat, Regiam suam Majestatem pariter exoptaturam, ut ejus subditi in Oriente omne auxilium, opemque, quantum hi Religiosi ad itinere, ac negotii ipsis demandati executionem indiguerint, præstent: Ut autem hi de hoc favore certiores reddi possint, jussus sum petere, prout & confidenter a Vestra Majestate peto, pro hisce Religiosis amplissimas, & maxime idoneas publicæ securitatis literas: Navis vero, qua Franciæ Orator, præfatique Patres Jesuitæ Siam profecturi sunt, abs omni dubio Mense Martio ad finem vergente portu solvet: quapropter humillime rogo, ut Majestas vestra præcipere velit, ut præfatæ literæ expediantur, & quanto citius fieri poterit, mihi tradantur.

*Epistola R. P. De la Chaise Jesuitæ Regii
Confessarii ad P. Verbiest Peckinensem
Missionarium.*

Reverende Pater!

Non sine magno animi gaudio Regis mei, qui totius Christianæ Republicæ maximus est, iussa executurus, Reverentiæ vestræ patrocínio commendo sex nostræ Societatis Patres natione Gallos, meritum copia, & ingenii præstantia inclytos: Hi sub tuis auspiciis Sinis & magnæ Tartariæ lumen veræ fidei inferre, omnesque observationes Astronomicas, & artium, scientiarumque cognitiones haurire iussi sunt ab illa Natione, quam R. P. Couplet, nuper Regis nostri alloquio honoratus, singulariter deprædicabat. Omnes hi sex præter ingens Religionis studium, raræque virtutem mira facilitate in addiscendis linguis & scientiis præditi sunt, eosque ob rerum Mathematicarum scientiam Majestas sua in suos Mathematicos selegit, & ut tales Regiis literis magno Cancellariæ sigillo firmatis muniri iussit: Gaudebit sane R. Vra, quod per hosce Patres pro scientiarum augmento inter hos duos totius Orbis potentissimos Monarchas, & maximos scientiarum Patronos veluti negotiationem erigere poterit. Hi tam sapientia, & Re-

giminis

giminis felicitate, exercitus numero & ro-
bore, quam legum recitudine, bene or-
dinata Regnorum administratione, Divino
adjutorio in eorum consiliis, magnificentia
in eorum Regiis, atque animorum celsi-
tudine inter se adeo æquales sunt, ut pla-
ne videatur, quod sicut ambo hi Principes
omni admiratione dignissimi, cum nil ma-
gis augustum, nil præclarius quam seipfos
in terris invenire possint, ac unice pro sui
ævi gloria, suorumque subditorum prospe-
ritate nati videantur, ita etiam per æqua-
les virtutes, easdemque heroicæ dotes a
Cælo datas inter se eo intimius uniantur,
quo majori ac pene immensa regionum,
mariumque distantia eorum Regna sint ab
invicem separata. Faxit Deus ter Opti-
mus, ac supremus omnium Monarcharum,
omnium Regum & Cæsarum Dominus, qui
cunctos tanquam veri Divinique Cultus
Conservatores, sui que Templi Protectores
constituit: Velit, inquam Deus, ipsis quo-
que idem Religionis studium, ac propa-
gandæ veræ fidei Zelum, necnon parem
pro Evangelii prædicatione & religionis
exercitio ardorem inspirare: nec sit ultra
magnus Sinarum Imperator nostro Rege
inferior in præcipuo veræ Majestatis gradu,
qui solus Personæ suæ dignitati, Regni que
sui felicitati deesse videtur: Eandem gra-
tiam pro vestro magno Imperatore summis
assiduisque votis efflagitant omnes probi.

ac devoti in toto hoc florentissimo Regno, in quo Ludovicus Magnus fidei Catholicae unitatem, virtutem & pietatem suo exemplo, sua sollicitudine, suis edictis, imo & continuis suis liberalitatibus redintegrare studuit. Nos quoque Sacrificia precesque hunc in finem quotidie Deo offerimus, nec credere possumus, quod tot virtutes, quibus vester Rex jam eminent, ob solum Christianae fidei defectum sine mercede in aeternum remaneant. Hinc speramus, quod ultimam quoque sit impositurus coronam magnifico illi operi, quo tam celebrem famam sibi in toto Orbe comparavit: Ut ergo R. Vestra satisfaciat desideriiis magni nostri Regis, quem Deus toti Europae in nostrae fidei Defensorem, ac restauratorem dedit, quemque juxta omnes Prophetias in excidium Mahometanae superstitionis elegit, hinc R. Vestra quantum fieri poterit, de virtutibus, consiliis, & magni vestri Imperatoris, quem Rex noster aliunde in magno pretio habet, ampliolem notitiam communicare non gravetur: Oro etiam atque obtestor V. R. ut fervidos hosce, doctosque Missionarios, quos Rex submittit, omni possibili modo protegere, adjuvare, eisque pro viribus suis favere velit: His Rex praeesse voluit Patrem de Fontanaye, cujus merita R. vestrae sat cognita sunt, quemque omnes doctiores Regiae Academiae per Regis nostri libera-



liberalitatem florentissimæ Mathematici
tanquam Virum in paucis doctissimum, &
velut singulare totius Nationis ornamen-
tum venerantur. Præfati Patres omnes
observationes, cunctaque Scientiarum pro-
digia in summa earum perfectione ex Eu-
ropa ad vestram regionem transferent, at-
que ad vos mittuntur tanquam Sponsores
plurium & majorum adhuc favorum, quos
Majestas sua tam in gratiam vestri magni
Imperatoris, quam in vestrûm utilitatem
imposterum facere meditatur, ac sine du-
bio faciet, quamprimum inaudierit, quo
honore ejus Mathematici in Sinensi Im-
perio fuerint excepti, & habiti, atque in
mandatorum ipsis injunctorum executione
adjuti: Non possum exprimere omnia fu-
tura commoda, quæ ex horum Patrum
missione, & a R. vestræ benevolentia, Deo
vota nostra secundante, mihi polliceor, hi
etiam, quoniam ex hac Aula & Regni
Metropoli, in qua per aliquot tempus e-
levati suis meritis inclaruerunt, profiscun-
tur, vobis enarrabant plurima, quæ ipsi
ad vestri Zeli, & curiositatis satisfactionem
melius ore, quam ego calamo, exprimere
poterunt. Præcipue vero R. vestram rogo,
ut illis fidem adhibeat, attestantibus, quod
præter me nullus in terrarum orbe arden-
tius in vestrorum Sacrificiorum, laborum-
que Apostolicorum unione cum summa

A a a 3

vene-

veneratione ac sinceritate persistere desideret, &c.

*Epistola ejusdem Patris de La Chaise ad
Siami Regem.*

Rex potentissime!

Summa veneratione ac gaudio me votis
Majestatis vestræ satisfecisse arbitror,
procurare intentus, ut duodecim Patres
Mathematici e Societate nostra virtutibus
ac scientiis insignes ad Siamense Regnum
mittantur, duasque domos, & Ecclesias
unacum speculis astronomicis, quas eisdem
Majestas vestra in duabus Regiis Civitatibus
Siami & Luovoi concedere dignata est,
occupent. Hac in re secutus sum
jussa Regis Domini mei, qui eo libentius
horum Patrum discessum ratum habuit,
quo nec cariora pignora, nec certiores
Regiæ suæ amicitiae fidejussores
Majestati vestræ submittere potuisset. Cum
his denuo misit Patrem Tachardum, utpote
qui de vestræ Majestatis mente & consiliis
plenius instructus, exactius quoque eidem
rationem reddere poterit de cura & sollicitudine,
qua Rex noster Majestatis vestræ intentioni
respondere satagit. Rex potentissime, si perdemissas
quoque preces meas votis maximi inter Orbis
Principes Regis mei jungere liceret, Majestati

jestati vestræ supplicarem, quatenus hos Patres, confratres meos, mihi que metipso chariores, bonitatis, ac protectionis suæ favoribus beare dignaretur, eo magis, quo certius eorum merita, ubicunque cogniti erunt, hanc gratiam sibi vendicatura sint. Non sine summa veneratione, & gratissimi animi sensu auream Christi Cruci affixi imaginem, quam mihi donare Majestati vestræ placuit, recepi. Hæc semper in primo ac nobiliore Societatis Collegio in Francia oculis omnium meorum Confratrum exposita permanebit, ut ex ejus aspectu eo ardentiori Zelo ad sua obsequia Majestati vestræ deferenda excitentur, ejusque subditis salutis scientiam, & cognitionem veri Dei, qui solus ab Universo Orbe adorari meretur, ingerere certent: Comitabor illos corde & affectu, jungam vota mea illorum votis, quibus incessanter solidam Majestati vestræ gloriam, sui que Regni prosperitatem augurabuntur; Præsumpsi eisdem quædam consignare dona, exigua licet, talia tamen, quæ meæ conditionis homo magno Regi facere potens est. Spero nihilominus, saltem laboris raritatem haud ingratham fore: Enimvero Cælorum Rex, ad hominum institutionem cælorum astrorumque motus, planetarum concursus, solis & lunæ eclipses, quas hæ machinæ novo artificio exhibent, profunda sua sapientia ordinavit, hunc

ipsum Deum exoro, ut excelsam Majestatis vestræ mentem per lucidissima illa opera, fabricata a manu Dei solius, quem adoramus, illustrare dignetur in cognitione & amore illius, qui horum mirabilium est Author, & cui Reges majorem adhuc, quam ceteri homines, venerationem ac submissionem præstare tenentur. Ceterum, Rex potentissime? tuis Oratoribus & præcipue ei, qui legationis princeps erat, hoc testimonium tribuere adstringor, quod in omni occasione luculenta summæ prudentiæ ac sapientiæ spesimina ediderint, suaque agendi ratione demandati muneris honorem Majestatisque vestræ gloriam tueri, simulque omnium expectationi satisfacere, & præcipue magni nostri Regis totiusque Augustissimæ suæ familiæ benevolentiam demereri fategerint: confido, eos vicissim commendaturos indefessam diligentiam, qua ad votorum suorum plenitudinem a Rege & Domino meo tam amplas singularis erga Majestatem vestram amicitiae testificationes procuravi, ut auisim dicere, quod nemo alius Oratorum unquam in Francia ampliori honore ac decore exceptus fuerit. Denique Regem Regum, qui corda Regum suis in manibus tenet, suppliciter rogo, quatenus Majestatis vestræ animum cum corde Regis ac Domini mei tam arcto conjungat vinculo, ut ambo idem de supremo Rege Deo
 sen-



fentiant, proin ambo pariter Deum ab omnibus tam Orientis, quam Occidentis Nationibus adorari procurent; sicut enim Regis Domini mei nomen non nisi per ardens, quo erga purum veri Dei cultum flagravit, studium ad tam sublimem gloriæ gradum, quo nunc potitur, exaltatum est, ita Majestas vestra nunquam Regno suo majorem gloriam, nec cunctis suis consiliis ampliorem prosperitatem comparabit, quam veri Dei adoratione. Hæc vota a me non modo mea pene infinita gratitudo, quam erga vestram Majestatem tot Regia beneficia deposcunt, sed etiam summa, ac perdemissa requirit veneratio, qua profiteor, me esse &c.

Epistola Patris Tachardi ad Franciæ Regem.

Rex potentissime!

Rationem reddo de secundo meo itinere, quod Regiæ suæ Majestatis jussu ad Siamense Regnum confeci: Nominis tui gloria, ac virtutum fama in hac regione tam communi applausu resonat, ut sapientissimus Princeps hujus Regni Moderator nil magis sibi gloriosum, ac suæ Nationi magis proficuum fore crediderit, quam si cum Majestate vestra foedus inire, ejusque

A a a 5

ami-

amicitiam sibi conciliare posset: Majestas vestra petitioni ac desiderio hujus Monarchæ generoso prorsus animo satisfecit, simulque testatum reddidit, quo in pretio illam habet, imo ausim dicere, quod hic Princeps, etsi Majestatis vestræ benevolentia ob præclaras suas dotes, quibus abundat, dignus haud foret, eam tamen ardentissimo suo gloriam vestræ Majestatis, sui que Regni prosperitatem augendi studio promereretur: Profecto Majestatis vestræ sollicitudo, quo hujus Principis salutem, & hujus Nationis institutionem promovere studet, non aliunde oritur, nisi ex ea pietate, qua Majestas vestra longe gloriosius, quam tot victoriarum fama cunctos Reges terræ antecellit, eapropter, quia Divinum Numen cunctis Majestatis vestræ conatibus tam ampla benedictione, ringentibus licet æmulis suis, adfuit, sperare fas est, Deum quoque non minus, quam ceteris, his quoque bene cæptis prosperos daturum successus, posteritatemque inter Ludovici Magni victorias numeraturam Siami & Sinarum Reges sanctæ Cruci, ac Christo Jesu subiectos. Hoc triumpho, quo Majestas vestra Regnum Dei latius protendit, sibi Cælum adeo propitium reddidit, ut victorias hucusque contra tot foederatos hostes feliciter partas, etiam æternas faciat: merito etiam lætari poterit Majestas vestra, quod nullum hostem

hostem habeat, qui non ex armamentario Ecclesiæ arma, quibus eam aggressi sunt, sumpisset, adeo nempe tua gloria a Religionis gloria inseparabilis est: nostræ vero professionis homines gaudemus, quod Regibus nostris servientes Deo serviamus, certique simus, quod gratiora Regi nostro obsequia præstare non valeamus, quam quæ Deo præstamus: qui tibi deserviunt, haud solliciti sunt, ut Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ Dei reddant; quippe adeo singulari, tamque glorioso pietatis Christianæ exemplo testatum reddis, quod nostro ævo eadem Dei & Cæsaris causa in Francia agatur. Inde vero nostræ Societatis Religiosi, quos in Indias vestra Majestas decernit, novo excitantur ardore, ut tua jussa, quibus te nil aliud quam Dei gloriam, fidei propagationem, atque Ecclesiæ Catholicæ incrementum, intendere noscunt, exactissime exequantur: Tam puræ intentioni tuæ respondere studebimus, nobisque gloriæ duce-
mus, si propterea sanguinem & vitam prodigere poterimus: eadem voluntate animati proficiscimur omnes, mihi que polliceor, Majestati vestræ sat persuasum esse, neminem me Majestatis suæ prosperitatem cordi suo altius defixam tenere, magisque sincero affectu & profundissima veneratione subsistere &c.

Oratio

*Oratio Siamensium Oratorum ad Fran-
cicæ Regem in ultimo alloquio*

Anno 1686.

Augustissime Rex!

Ad Regem nostrum revertendi veniam a vestra Majestate supplicaturi, huc venimus; noscimus enim, quod Princeps noster anxiiis curis legationis nostræ successum præstoletur. Prodigia, quæ referremus, excipere, ac pretiosa singularis suæ erga illum benevolentia pignora per nos recipere anhellat: præcipue vero urgemur, ut illum de Regia amicitia, quam in perpetuum Majestas vestra cum eo iniit, certiolem reddere possimus: Hæc sunt, quæ vehementius, quam venti & vela tandem nos ad remigandum impellunt: Ceterum Benevolentia, qua ex vestræ Majestatis mandato ubique excipimur, nos veluti patriæ nostræ immemores reddit, aut si dicere licet, vix non Principis nostri jussa ex animo nostro oblitterat: cum autem a Regia vestra Persona discessum paramus, defunt nobis verba, quibus obsequii nostri, admirationis, ac gratitudinis, quam profitemur, sensa exprimamus: Expectabamus equidem nos
singu-

singulares gratias, insignesque prærogativas in Majestate vestra agnituros: nec nos nostra fefellit spes, imo omnem nostram longe superavit expectationem, faterique cogimur, nos alloquii copiam, facilitatem, orisque suavitatem, qua honorati sumus, experiri, nunquam sperare ausos fuisse, imo nequidem nobis persuadere poteramus, in eadem Persona dotes, quæ sibi invicem adeo opponi videntur, conjungi, atque in uno eodemque throno tantam Majestatem tantumque simul & amorem morari posse: nunc vero nobis haud ultra mirum videtur, quod populi tui sub auspiciis tuis nimium fortunati, omni occasione suum erga Regiam tuam Personam amorem, tenerrimique animi specimina prodant. Nos vero, Rex Maxime, tuis beneficiis cumulati, virtutibus tuis capti, tuaque benignitate intimo cordis sensu commoti, ac sublimi tua sapientia, cunctisque Regni tui prodigiis in admirationem rapti profitemur, quod vitæ nostræ dies nimium breves, totiusque mundi ambitus nimis restrictus sit, ut ea, quæ exponimus, pro meritis deprædicare possimus: imo in recollendis tot miraculis memoria nostra deficit. Quapropter integra fide in libellis nostris studiose descripsimus omnia, quæ carptim colli-

colli-



colligere poteramus, ac denique palam
 profiteremur, quod quamvis multa nar-
 raverimus, plura tamen memoria exci-
 derint, nihilominus tamen hi libelli ad
 longævam transmittentur posteritatem,
 atque inter longe rarissima, magisque
 pretiosa hujus Regni monumenta reponen-
 tur, & Rex, Dominus noster eos ad
 Principes sibi fœderatos tanquam munus
 pretiosum transmittet, ut eo certius
 citiusque incomparabiles Ludovici Ma-
 gni virtutes universo Orienti innotescant,
 utque futura etiam sæcula eum admi-
 rari addiscant; annuntiabimus etiam
 cum gaudio prosperam Majestatis vestræ
 sanitatem, ac singularem ipsius Cæli
 providentiam, qua Majestatis suæ vitam
 nunquam intermorituram prolon-
 gare certat &c.



INDEX